

salutariter pugnant, exuant & quem nodum solvere non possunt, Alexandrino gladio secent.

*Exempla*

*beretice*      4. Horum omnium pestilentissimis conatibus & fraudibus hac severa interminatione sanctus Apostolus *additionis* obviam ire voluit; sed testatur Historia Ecclesiastica temporum, quæ beatum Apostolorum ex his terris obitum sequuta sunt, parum eadem fuisse promotum. Prioris enim nefarii ausus, *additionis* intellige exempla e Scriptoribus Ecclesiasticis produci possunt longe plurima. Iren. lib. I. adv. hæres. c. 17. in princ. de discipulis Simonis Magni (quem omnium hæreticorum patrem idem in præfat. libri tertii appellat) sic scribit. *Præterhæc*, (quæ ex Canonicis Script. proferunt & ad hæreticos suos errores detorquent) afferrunt inenarrabilem multitudinem apocrypharum & notharum Scripturarum, quas ipsi confinxerunt, ut stupefiant amentes & ignorantes literarum veritatis, ἀμύθιτον πλῆθος ὑπορύφων καὶ νόσων γεράφων προσεισφέρεται, &c. lib. ejusd. cap. 35. p. 91. de Cainis hæreticis memorat, quod confictionem quandam pro Evangelio Iude venditarint. lib. 3. c. II. pag. 188. de Valentianis sic scribit. *Hi qui a Valentino sunt, existentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur, quam sint ipsa Evangelia, siquidem in tantum processerunt audacie, ut quod ab his non olim conscripsum est, veritatis Evangelium titularent, in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia.* Eusebius lib. 3. Histor. Eccles. cap. 3. p. 30. *Acta, quæ Petro nuncupantur & Evangelium, quod illius esse dicitur & prædicationem illi inscriptam & Apocalypsin ipsius dictam, nusquam inter Catholica scripta tradita scimus.* Et postea. *Acta qua Pauli esse dicuntur, inter indubitata recensere non accepi.* lib. ejusd. cap. 22. juxta dist. Gryn. inter adulterina censeantur acta Pauli, Apocalypsis Petri, præterea & quæ circumferuntur Epistol. Barnabe & Apostolorum doctrinæ dictæ. Iam vero & Evangelium quidam, quod est ad Hebraeos, inter ista connumerant, quo polissimum delectantur hi, qui ex Ebreis Christum receperunt, &c. Et postea. *Quædam sub nomine Apostolorum sive velut*